

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1904

Auteur(s) : Hugues de Morville, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôtel-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1225, janvier

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, évêque de Coutances, établit la confrérie pour les biens de l'Hôtel-Dieu de Coutances dans toutes les paroisses de son évêché.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XXXII, col. 258.
- b. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XLI, p. 33-34.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus qui præsens scriptum viderint, Hugo Dei gratia Constantiensis ecclesiae minister humilis, et humile capitulum ejusdem ecclesiae, salutem in Domino. Cum divinæ pietatis instinctu ad susceptionem pauperum et peregrinorum hospitale quoddam fecerimus apud Constantias in honore sancti Spiritus et beatæ Mariæ et S. Antonii confessoris, considerantes attentius et paucitatem reddituum et pauperum multitudinem, communi assensu constituimus quamdam fraternitatem in singulis parochiis episcopatus nostri perpetuo duraturam, volentes ac præcipientes quod ad relevandam inopiam prædicti hospitalis, et ad sustentationem prædictorum pauperum singulis annis fiat quæsta in singulis parochiis per presbyteros earum parochiarum, cum omni diligentia et sollicitudine tribus dominicis ad minus tempore constituto, et per duos parochianos fideliter conservetur, donec prædicti hospitalis nuncio persolvatur, omnibus quæstis interim cessantibus per totum episcopatum, donec quæsta hæc persolvatur. Præcipimus etiam et in virtute obedientiæ firmiter injungimus singulis presbyteris et personis ecclesiarum, quod ad mandatum et citationem decanorum suorum semel in anno convenient locis et temporibus constitutis, et omnibus decanis hoc idem præcipimus, quod presbyteros suos faciant convenire cum per nuncium hospitalis fuerint requisiti, ut de indulgentiis scilicet et orationibus quæ prædicto hospitali per nos et alios concessæ sunt, plenius instruantur. Nos enim omnibus decanis, presbyteris qui ad hoc convenerint, et omnibus illis qui cum ipsis sacerdotibus negotium hospitalis ejusdem verbo et opere sollicitè et fideliter procurabunt, de injuncta sibi pœnitentia decem dies misericorditer relaxamus. Rogamus etiam successores nostros eo affectu, et ea qua possumus devotione obsecramus in Domino, ut quod a nobis pie inceptum est, pro amore illius qui pietatis auctor est et amator, satagant de die in diem prout Deus inspiraverit in melius promovere ; illos autem omnes qui bona

fecerint eidem hospitali, larga Dei benedictio semper et præyeniat et sequatur, amen. Datum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo quarto, mense Januarii in capitulo Constantiensi.